

fent, eam rem, atque id prodigium existimabant pertinere. Ordo rerum me admonet, ut duo civitatis judicia hoc ipso facta tempore silentio ne obruam. Erat in ci-vium nobilitate Joannes Georgius, homo ferox, nullaque pietate, qui ab Antonio Bernardo Taurisanorum prætore ob maledicta in deos, aliaque scelera exul ejus oppidi factus fuerat, damnatusque ut si eo rediret, lingua ei amputaretur, manusque altera præcideretur. Is Taurisum alio prætore cum revertisset, virginemque vi adhibita violavisset, Decemviri missis illo suis rerum capitalium ministris atque vindicibus, Georgium comprehendendi, deque eo Antonianum supplicium medio in foro sumi jufserunt: eo sumpto, Venetias adductum in Cretam deportari mandaverunt. Neque multo post Antonius Bolduus Triumvir ex advocatis reipublicæ Dominicum Bolanum Candiani filium collegam suum accusatum acceptæ eo in magistratu ab reis & litigatoribus pecuniæ ad Senatum detulit. Cum Senatus eum comprehendendi, atque ex vinculis causam dicere jussisset, ille autem fuga se judicio eripuisset, absens damnatus est, ut intra mensem se carceri dederet, Caniam Cretæ oppidum exulatum deportandum: quod si non faceret, comprehenso cervices abscinderentur, bonaque publicarentur, magnis propositis præmiis iis, qui eum aut vivum magistratibus tradidissent, aut ipsi occidissent.

Post hæc de adventu Gallorum fama percrebrescente, ac Ferdinando rege exercitum & classem ad hostes repellendos comparante, atque omnibus Alexandrum Pontificem Maximum pollicitationibus, ut suarum partium esset, sollicitante, Ludovicus veritus, ne si inter eos convenisset, Ferdinandus, præmissis in Galliam suis & Alexандri celeriter copiis, e regni eum procuratione atque fastigio ante Caroli adventum expelleret, ereptamque filii sui genero dignitatem atque imperium restitueret: a Senatu petiit, ut quos haberet milites equitesque, ad Olli fluminis ripam, quod est in Brixianorum finibus, juberet proficisci, uti regem ab eo ineundo consilio abduce-

H. Bembi.

D

ret: